

QVIESCOELI,

PHILOSOPHICA;

Albo suffulta Sophorum ad Auram
calculo,

Et Umbrâ

VIRI *PræClarissimi*,

M. PETRI HAHN,

Phys. Profess: Celeberrimi,
& Biblioth. Reg.

Refota;

Æqvis sifititur Censoribus

In diem 29 Nov. A. 1699 in sacrario

Minervæ Supremo

Enucleanda:

A

JOHANNE TALPO/ S.F.

Exc. apud Jo. LAURENT. WALLIUM.

Mons: Gyllenborgs.

IN SACRAM
REGIAM MAJESTATEM
Magnæ Fidei Viro,
Reverendissimo in CHRISTO
Patri ac Domino,
DN. JOHANNI
GEZELIO,
S. S. Theologiæ DOCTORI
Famigeratissimo,
Lycæi Aboëns. PRO-CANCELLARIO
Magnificentissimo,
Dioecesanos ANTISTITI ibidem
Gravissimo,
Consistorii Eccles. PRÆSIDI æqvissimo,
Scholarum EPHORO accuratissimo,
MÆCENATI maximo.

Culmen, qvà Boreas furit,
Culmen, qvà imperitant Gnoſſia
ſidera,
Culmen, qvin Columen globi
O Tu Grande nimis Fennonici, polo
Dos demiſſa perarduo,
Te nil fert patrium nobilius ſolum:
Plebs ſacrata Tibi ſubeft.
Umbra ſub Charites Heic recubant Tua,
Dum navas operam ſacris;
Lumen conſilii porrigis & foro:
Delibas neque publico
Tu qvicquam ſpatio, devoveas Tuis
Qvod curis: breve at ocium
Quantumeung; tamen, qwave refederit,
Conatu exigitur pio,
Qvinimò Oceanum quà videt, utili,
Sol utrumque retrogradus,
Laudis, qvi que ſupra prominet aleam:
Sacrif non morientibus
Curis. Tene ſtrepens ſuſtineo alloqvi?
Qvid Grajis placeant Diis
Oblatæ peregrè, ſat teneo, ifaces;
Verum qvis benè ferreā
Exit fronte pudor? vel favor unico
Cui non lumine blandiens

Ad-

Addit calcar opis, plus, superæ indigo?
Et sanctæ oscula gratiæ?
Sublimi Integritas culmine qvem suo
Excepit Vigilem DEO,
Unqvam muneribus qvidne movebitur
His exilibus? ast Tuam
Quidquam liberior si ~~golo~~ gratiam
Culpæ ignosce precor, ~~me~~,
Salvi fac pateant ara, spei & vadum.
O Culmen patriæ editum,
O Sacri Columnen Tu populi aureum,
Trifecclum dege Nestorem,
Longumq; agglomera noctibus O dies!
Ne vel Culmine labili,
Fundamen pereat, nec sacra publico
Fulcro orbata ruat Domus
Altâ pernicie: sed nivibus tuum,
Seris mitior urgeat
Celsum Clotho caput! vive, cale, vale!!!
TUÆ REVERENDISSIMÆ DIGNITATIS
devotissimus cultor
Jo. Calpo.

Ad
Eximum, Politissimum & Doctissimum

DN. JOHANNEM CALPO/
Philosophi in illustri Academia Aboënsi
Senioris, diu de re literaria optime
merentis, filium eleganter moratissimū,
cum Adolescens admodum

De

QUIETE COELI
publicè disputaret.

A striger ipse polus, per tot molima-
na rerum,
Qvot numeras ignes axe micare
super
Si tibi, ceu docta memoras ratione,
qviescit,
Hautque illis agitur motibus usque
celer;
Tradis ut exemplum, quicquid molire
sub axe,
Fallax, ni tibi sic est labor ipse, qvies.

*ne officio amicitiae deesset
properato dedit*

JO. RUNGII S.

SINCERE LECTOR,

Heu concitati, quis juga findere
Experius alti cerula, penegat?
Undas phaselum devorare,

Oceanumve sagax brevi, quis
Tiphys carinā conficit horridum?
Ergo lacesso quid vetitam Thetis
Hem, cortice audax imbecilli?

Carbasa cui tribuo ampliora;
Etse frequenti condita fragmine.
O commodes sed, Te rogo, lumina
Meo laborei huic irretorta.

Pone supercilium Catonis,
Censoris atri vah criticum fuge
Obtrudere unguem; Zoile dentium
Nil flagito Te, mi laborem,

Pessime: Tanarium reducis
Mihi malum, quin Cerberus improbus.
Sed candor arce de fullo gravem
Sensum, procul sit livida fac

Fama Deæ, pereatque totus
Terræ typus: sic tutus & hæc via,
Issaque, neutrò sic titubantibus
Votis, tumentem vertor ad Te,
Qui regis Oceanum, Creator.

* * * * *

O Lumen Nitidum, Summe DEUS Poli,
Te votis facilem, Te prece supplici
Præsens ambio, Te spes colit & fides
Velat & usque poplo corpora candido:
Lumen de rutilo sparge tuo nigris
Jam quæso tenebris, quod nimia solo
Hoc uliginis est, dilue, fulmina
Hoste extorta petant fac revolubili
Incursu Dominum, nodus & obrium
Diffingat gladium, Te, rogo Principe:
Ut perdant vacuum tela caput, mea &
Velentur stabili sub clypeo fibre,
Ut cantem modulos perpetuos Tibi.

SEGMENTUM PRIMUM.

 I mentem oculosque inflectas ad
contemplationem hujus uni-
versi, facile observabis quas-
dam res creatas aliquousque
imitari Celsissimum Numen & exigu-
am Creatoris sui repræsentare Analogi-
am, quoad quasdam solummodo Affe-
ctiones; si enim accurata te habeat so-
lis consideratio, hoc ipso suum arguet.
Auctorem summæ Majestatis & Benefi-

centiæ, hoc ipso inquam, quod fulgore suo illustret terrenam hanc molem & innumera illi offerat commoda, imo similitudinem quoque insignem mutuantur à DEI invisibilitate, nimio suo lumine, quo nullos patitur sui Contemplatores, sed eos excæcat, ni helioscopio utantur; eandem messem reportat curiositas DEI indagatrix, ea videlicet, quæ DEUM aliuude, quam è Iacri Textus principio, audet rimari, quæ suæ caliginosæ mentis decempedâ vastissimos Divinitatis agros metitur. Quando iterum obtutum contorques ad ipsam cœli convexitatem, illic etiam aliqualem offendes conformitatem, tum in eo, quod insignis sit magnitudinis & vastitatis, tum in eo quoq; quod sua globositate nec caput agnoscat, nec calcem: postremo, si contemplationem ulteriorem in cœlo defigas, præclarissimam fermè adhuc erues imaginem; eam scilicet, quæ in quiete consistit, nam eâp; re quod permanet in suo loco, non minimam DEI- formitatis micam refert

refert: DEUS enim est immobilis & ubique, replete; quamvis autem tribuatur illi locomotiva facultas, hoc tamen tantum fit *avθωνηθως*; parili ratione cœlum, licet cedendo stellis currentibus aliquando moveatur, id tamen non fit assiduo, nec propriè potest appellari motus, qui à principio interno proficiscitur; cum is motus, fiat ab externo motore & passivo tantum recipiatur in cœlo. Ad hanc ego quietem cœli, adspirante Divini Numinis aurâ, aggressus sum, ut ut levi indignam Tibicine, iniquum onus humeris aptans tenellis.

Pontus evocat morâ.

Ripæ locatos, axe blandiori;

Solvimus ratis vagos

Ergo rudentes, vela quin adimple-

Æole; en ratis vola,

Ridet Notus, nunc ridet ecce cœlum!

SEGMENTUM SECUNDUM.

Cùm ultra limen animus est salutare Musas & uberiori materiæ hujus exa-

examini vacare, prælibamus utriusque
vocis originationem; respicientes enim
ad rō cœlum, oblervamus leam vocem
multifariam posse derivari: vel enim
per œ pingitur & natales suos debet
Græco Vocabulo κοῖλον cavum. Aliis vox
cœli per æ scribitur & à cœlando trahit
originem cum cœlatum quasi sit & stel-
lis pulcherrimè interstinctum. Quin &
per e simplex exponi svevit, sicque de-
pendet à celare: caulam hujus deriva-
tionis volunt esse occultationem ejus a
sensibus nostris. Nec defunt, Festo affer-
tore, qui cœlum Priscis dictum fuisse
cohūm afferant, vel æolicē inserto di-
gamma covum, à græco χάρι. Pri-
mam igitur quod concernit derivationē
alternis laudibus & vituperiis onerari
potest: non enim levem meretur cothurn-
num, si ad ipsam Creationem fiat re-
spectus; multam namque illic sui con-
siderationi alit materiem, tum in mun-
do perficiendo & massa chaotica, quæ
Priscis dicta fuit πρωτηγονον ὠρον: in hoc
autem cœlum testâ designabatur &
Elemen-

Elementa partibus ovi internis, putamini inclusis *cavō*, tum etiam in mundo perfecto, quippe cœlum inter prima DEI opera creabatur, ut instar aulæi omnia creanda ambiret, erit igitur vastæ cavitatis. Rejicienda vero est hæc derivatio, qvatenus patrocinatur Peripateticorum duris, cavisque orbibus cœlestibus, sese invicem, instar cepæ partium ambientibus, propriè enim loquendo excavantur ligna, metalla, aliaqi torni operâ; cœlestia verò à terrestribus in talibus differunt, nunqvarū conveniunt: Forsitan autem Aristotelici hunc durum vocis significatum mutuati sunt à licentiosis Poëtarū Metaphoris, quod patet ex Homero, ubi dicitur: *in altissimo cœli clypeo*, quis autem clypeum nescit esse cavum? Alteram quod spectat impositionem, nimirum à cœlando, illa qvidem veritati non repugnat, parvo tamen laborat vitio, quia non perita est ab essentia rei, aut ab aliqua affectione, sed solo externo ornatu & mere figurata est. Tertia autem quæ satis firmo nititur talo, jam

est repudiata & ex usu eliminata, illa namque ab affectione cæli non vilissima est desumpta, ab invisibilitate nimirum, vel potius subtilitate ejus, quâ omnes fugit sensus, qvum requisitis illis mixtis corporibus competentibns destituatur: & imprimis quidem visum ; adeò ut ipsum Græcorum ὁραῖος huc alludere videatur qvasi & οἰκτός dictum : partim denique celum dic posset ob distantiam suam à terra immensam, eo enim qvod tantum spatiū abest, sub nullum sensum cadit. Quartam vero quod concernit Originem, non omni penitus caret salillo qvum τὸ ξάρον Græcorum Priscis signarit Aëra sive omne id spatiū quod medium est inter sidera, terramq; ut enim a cælo est cœlicum, sic a covo covicū & covicellū, per syncop. vero covellū, adeo ut hinc Juno Antiquis dicta fuerit Covella seu Cœlestis. Si rursum indagemus notationem QUIETIS, descendit ea, vel à græco κῆμαι jaceo, & est propriissima ; vel etiam Latio est oriunda, cui à cieo seu moveo derivatur & per anti-

phra-

phrasin pro motu substituit quietem. Illam ergò priorem qvod attinet, principem locum tenere videtur, tum qvia ipsa Lingua Latina Græcæ suam ex parte debet originem, tum qvoque quia radix hæc cum suo radicato magnam alit qvoad literas convenientiam, imo qvoad significationem ne latum quidem discrepat ungvem: interim nec posterior inepita & enervis dicenda est, cùm & illa suam mereatur laudem, utpote ē proprio de promta myrothecio & genuina prognata matrice, major etiam in hac quā in illa deprehenditur literarū convenientia, quæ cum primis attenditur in Originationibus: præterquam qvod vetus illa Grammaticorū Antiphrasis nullius sit frugi, qvū nomina testibus Platone & Aristotele sunt simulacra & imagines rei nominatæ.

Sic puppis me eat ostii

Per famosa madens; hæc genitura erat

Et natalis iners vagâ

Liru progredivs; multigenæ qvoque

Cunæ progenito patent:

Gressus porrò regas Summe DELLIS meos.

SE-

SEGMENTUM TERTIUM.

Leviter saltem taetâ Originatione & pro ingenii modulo perfunctoriâ adumbratâ, promovemus pedem ad æqvocationem, errorum scaturiginem, nihil intensius cupientes, quam, ut palliuri & vepres cursum remorantes desentur, adulterinæ vocis acceptiones seqvestrentur & genuinus sensus nostro adaptetur instituto. Mittimus itaq; acceptiones varias Theologicas, quæ utiq; largius in Sc. S. reperiuntur ; illasq; consultò ne quidē recensemus. Cœlum itaq; I. Ponitur pro Climate, ut in illo Poëtæ Venusini : Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt, II. Designat terram, ceu Mantuanus Vates canit. 6. Æneide: Sed faisa ad cœlum mittunt insomnia Manes. III. In cœlo esse denotat laudari, beatum & felicem esse, qvem admodum Cicero habet in Att. IV. Cœlum hyperbolice ponitur pro altitudine nimia, ut Gen. II. 4. De turri Babylonica quæ se porrectura erat usq; ad cœlum.

V.

V. In Cœlum ascendere quandoque signifi-
cat superbiam magnā ut Es. 14.13. Jer. 51.53.
VI. Cœlum advesperascere dicitur de die
inclinante in vesperam, apud Cornelium
Nepotem. VII Proverbio dicitur cœlum
findi, de re impossibili; ita Ovid. I. Trist. XIII.
Apud Chymicos cœlum Spagyricum
est suprema Vasis Philosophici pars.
IIX. Cœlum Philosophicum, est quod
longè transcendent Elementorum natu-
ram, itidem apud Chymicos; ut Me-
dicina Catholica. IX. Aërem signat;
sicque vel conjunctum, cœlum aë-
reum & sidereum designat, ut: Gen. I,
6.7.8. 9.; vel disjunctum, tres aëris regi-
ones; sicut: Deut. 28, 23, Psal. 8, 9; sic
Matth. 6. volucres cœli dicuntur nec
serere, nec metere. X. Synecdochicē
Philosophis notat stellas, ut: quando di-
citur cœlum influere in hæc subcœle-
stia. XI. intelligitur per cœlum: Archi-
medis cœlum vitreum. XII. Aristoreli
fuit complexus orbium cœlestium. XIII.
Idem accepit pro toto mundo; nec non
XIV. pro primo mobili. XV. Cartesio

vox cœli quoque accipitur dupliciter; vel pro peculiari cuiusque stellæ orbe seu vortice, vel pro sphæra & circumferentia; sicque triplex cœlum statuit, primum Planetarum, secundum fixarum & tertium quod horum est reliquum. XVI. Cœlum est sculpendi instrumentum. Nos vero has acceptiones omnes, ut nothas & nostro instituto disconvenientes, repudiamus, adjicientes hunc significatum ultimum. & XVII, quo nimis est corpus naturale simplex, unum & continuum, astrorum domicilium. Consequeens igitur est, ut Quietem ponderemus & ejus varias significaciones; sumit enim I. pro cessatione & requie, quæ à lassitudine provenit & virium exhanstarum absentiam designat, hæc vero hominibus tribuitur & brutis. II. Cessationem talem notat, quæ fatigationem nec cautam habet, nec comitem, ut: Gen: 2, 2. ubi DEO competit a Creationis opere, & consummatæ actionis indicium est. III. pro somno seu sopore accipitur ut Cic.

&

& Sil. habent: sic etiam per quietem
videre dicimur quæ somniamus, ita
Curt. Propert. IV. ocium designat, ut
Cic. Sed ego excubo animo, nec partem
ullam capio quietis. V. pacem signifi-
cat, ut Plin: lib. 15, cap. 30. VI. denotat
sudum, ut Virg. 2. Georg. VII. Quies
Priscis Romanis fuit Dea, cui Fanum
extra urbem sacratum erat in via La-
vicana; Vid. Joh. Conr. Dieterich. in An-
tiqq. Romanis VIII. usurpat Lucretius
hanc vocem pluraliter; quietes vocans
tuguria, in quibus animalia in vivariis
hiemant. nos vero IX. Quietem heic
eatenus accipimus, quatenus æquipol-
let immobilitati. Quando autem haec
voces conjunctum spectantur, duplarem
rursus sortiuntur respectum, vel enim
innuitur talis Quies, quam proxime
motus antecessit: ejusmodi quies tum
datur in celo, quando motis astris cœ-
li particulae primum meant in locum
stellarum desertum & demum ulterius
progredientibus sideribus recurrent in
naturalem suam stationem & locum;

illam nos quietem, partim ut specialem, partim ut minus congruam nostro cæpto præterimus; istam statuentes quietem, quæ perpetua est & nullum præsupponit motum, imò positivè opponitur motui. Ut methodi ratio observeatur, efflagitat ordo *Συνωνύμων* seu Æquivalentiam vocabulorum; possent autem plurima dari Synonyma, ni brevitati litanentes, maximam partem facerent usus missam; igitur per pauca allegentor, utpote: Duratio & permanentia cœli in loco, absentia motus, identitas loci, immobilitas cœli. Græca item quadrantenus possunt applicari, ut: *ἵσοχία*, *ἴσεια* & *ἴσησία τῆς οὐρανοῦ*. Hæc itaqve quamvis non absoluta & adæquata sint æquipollentia; nam *omne simile est etiam dissimile*. Sufficiet eadem aliquousque quadrare ad nostram Quietem.

Fam redit indemnus inter successibus audax,

Absuntas modicâ beic sartagine,

Colligat ut vires, Sirenum liquimus ora,

Et Cantis suaves, stupuit procul

Scylla rapax; vultu, cesserunt compita blanda,

Auximus & merces promulside.

SE-

SEGMENTUM QVARTUM.

Vix & ne vix quidem in Cretico hoc
 Labyrintho progredi possemus abs-
 que filo Ariadnes, operæ ergò pretium
 erit decorticatâ arbore, eruere nucle-
 um, utpote litium scaturiginem & dis-
 senius occasionem, ut Adversariorum
 sensa sub limam, ferramque revocari; &
 demum nostra afferi & statuminari pos-
 fint. Quos vero hic habemus *Aiγικά-*
μες, dum sunt generum: Aristoteles
 cum suis Ascleclis a parte antiquiorum
 stat, à parte Recentiorum Cartesius
 cum suis seqvacibus. Ut verò hujus
 posterioris sententiam ē medio tolla-
 mus, ordine procedamus oportet, & ad
 ipsam Creationis Historiam invita-
 ti accedamus. Consulatur verò An-
 ton. Le Grand. Philosophiæ suæ par-
 te 5, cap. II. & Artic. 5; ubi dicit:
Tribus his fundamentis positis: 1. vacuum non
dari, nec 2 penetrationem dimensionum, 3 omne
quod movetur per circulum moveri, ob loca
omnia repleta corporibus, dicendum partes
uni-

universi in Creationis initio à DÉO motas
distribuisse varios vortices compoluisse; quia cum
diversi motus & figurae essent hæ particulae &
ob determinationis diversitatem per lineas re-
ctas pergere non possent, quia omnia spatia ut
dictum est corporibus opponuntur, oportuit ut in
circulum moverentur & varios vortices pro-
materie quantitate efficerent. Constat enim a-
pud omnes philosophos corpus quod in aliud
impingitur debere ab eo necessario resilire, ac
proinde in circulum deferri, ut motum suum
continuet. His vero opponimus Aucto-
ritatem Scripturæ Sacræ & tertium eo-
rum fundimentum subruimus, quod in
natura quidem perfecta & mundo ab-
soluto quadrantenus valet, perperam ve-
rò ad Creationis initium transfertur.
Quæ enim spatia repleta erant corpo-
ribus? nullis adhuc existentibus rebus
creatis, spatia namque corporibus co-
æva sunt, & ipso eorum calculo suffra-
gante: cœlum autem secundo Creatio-
nis ēgrediē die productum fuit, ut di-
scerneret aquas ab aquis, ceu dispalet cit
ex Gen I. versi. 6. 7. 8. ibi vero colle-
cti-

Etivè non ponitur pro vorticibus; & quæ
 demum illa corpora essent, quæ parti-
 culis illis motis resisterent? non sic præ-
 tractè augenda & limitanda est Sacra
 Creationis Historia, ne verbum qui-
 dem loquente Textu. Cui denique u-
 lui interfervirent hi vortices? non luminis
 pressioni, non stellis, non luci primige-
 niæ, ut infra audietur; die demum qvar-
 to, ut ex v. 14. constat, dixit DEUS:
 sint luminaria in expanso cœli: qvomo-
 gó verò expansi erunt vortices illi ro-
 undi? 2. sed aliam ejus mentem per-
 cipimus èx parte iti em 5. Grand cap.
 13. & paragr. 1. ubi hæc habentur verba:
Formatis jam vorticibus & sibi invicem ad-
herentibus, non potuit non, materiae primi E-
lementi copiam ex continuo globorum se-
cundi Elem. attritu augeri. Cumque ad tan-
tam quantitatem excrevisset, quam opus e-
rat ad globorum secundi Elementi se in
punctis contingentium anfractus implendos:
quod hujus scrubis residuum erat, versas u-
niuscujusque vorticis medium confuxit, &
ibi exiguum luminare constituit priuò lucem

nobis dictum primigeniam) quod ob parvitatem suam lucis dantaxat non en adeptum est. Atque hinc apparet quo sensu Moes sit intelligendus, dum ait, DEUM divisisse lucem a tenebris & lucem primo Creationis die in mundo fuisse. Quia collecta circa uniuscujusque vorticis medium primi Elementi materia, ubi nunc existit, globulos secundi Elementi premebat, luminisq; sensum excitabat. Ecquid lacunam, in textu resarcionem? videas ut ineptos suos vortices omnium primum velint esse DEI opus, nulla afferente id Scripturâ, nullâ urgente necessitate; sicutque Spiritum Sanctum arguunt insufficienziæ: quæ vero illa tria Elementa: quæ attritu coalescunt in unum; ex secundo fit primum; forte & ex tertio secundum: vortices hic fingunt; quale verò illud cœlum erit, de quo agitur Gen. 1, 6. 7. 8. versi. & quid diversi muneris his vorticibus competit à stellis, cum ab iisdem non nisi minutulâ materiæ quantitate differant? numquid DEUS intermisisset, præstantioris & prioris Creaturæ men-

tionem, qvalis sunt vortices & vilioris injecisset mentionem, imò tantâ cum paraphasi? qvid opus fuit, ut primigenia lux dispeleretur in omnes vortices? qvin è Sacro Fonte clareat lucem hanc frisse unum corpus & ob unitatem ita dictam esse. ; Idem Le Grand partis & capitis eorundem parag. secundo, hæc habet: *Verum, cum paulatim Materia primi Elementi, attritu continuo globulorum cœlestium, ad magnam copiam excrevisset, ad centrum porticum confluxit & ibi solem & stellas fixas quarto die effecit.* Sed Gen: i, 17. extat: & DEUS posuit stellas in firmamento cœli. Si DEUS jam primum quarto die posuit stellas in firmamento cœli, utique adhuc primo die non erant illuc positæ. At major invicta manet. Ergò & minor. Audiamus verò Div. Chysoftomum super hæc verba Geneeos: *Quid est posuit? numquid fixit? videmus enim eas unico temporis momento magnum transire spatiū, nec unquam in uno loco stare; sed suum à DEO datum cursum perficere.* Plures utique in

cælo fingunt motus, quales sunt : penetratio materiæ primi Elementi ex uno vortice in alium, motus ejusdem velocissimus intra sidera, propulsio secundi Elementi, & qui sunt reliqui motus in cælo ; hi omnes fundamine, cui innixi erant, ruente, sponte cadunt. Jam nos excipit Stagirites cum Iuis Pedissequis, qui varia calcant divortia viarum. Aristotelis vero sententia nil nisi fumos & absurda venditat ; statuit enim orbes in cælo eosque duros & ab intelligentiis motos, multi verò illum autumant per intelligentias voluisse Angelos, alii formam illos orbes informantem, & Angelorum effictionem Keckermanno impingunt ; utcumque sit, liquido constat Angelorum naturam Aristoteli Ethnico, minus, vel obscure saltem innotuisse 2. latit evincitur eum nec orbium essentiam sufficienter sibi cognitam habuisse, cum solidos statuerit illos, undè penetratio dimensionum propullularet : Angelos autem movere orbes cœlestes, plane negamus his fundamentis suffulti :

1. Angeli non sunt tractationis Physicæ; nihil itaqve de iis fingendum, præter illa ipsa, qvæ ē Literâ Sacra petuntur.
 2. Analogiæ Fidei repugnat, Creaturæ ulli Creationem aut aliquam ad Creationem *ovrēpyiaav* competere; aut enim in ipsa statim Creatione Angeli debuissent præfigi orbibus, qvod Omnipotentiæ Divinæ derogaret, aut dicetur cœlum prius quidem fuisse perfectum, temporis vero fluxu debilitatum fuisse, ideoqve à DEO præfixos esse Angelos, qvod Providentiam Divinam infringit. Oggeratur vero ex Epist. ad Ebr. & cap. 1. ubi dicitur, Angelos esse Administratorios Spiritus, emissos in ministerium illorum, qui possidebunt salutem; sed regerimus inde non seqvi illos movere hos orbes; nam illis sua ministeria peculiaria dedit DEUS circa hominis corpus & animam absq; ullo in ista imperio & qvid demum? numqvid hoc solis piis usui foret? nonne toti orbi, inqve illo, maximæ parti, impiis sci licet? 2. Probare nituntur suam men-

tem dementem per regularem orbium motum; sed & hoc implicat: nam hoc pacto omnia terrena errarent & nibil es-
sent; contrarium enim experimur per regularem lapidis descensum & ascen-
sum, plurimosque alios. Alii denique Pe-
ripateticorum cum Astronomis tradunt cœlum prout est corpus unum & conti-
nuum velocissimè moveri & adeo quidem in Äquatore, ut horâ unâ eme-
tiatur usq[ue] milliariorum quadragies bis
millena millia, trecenta nonaginta octo
millia, quadringenta & triginta septem
cum dimidio; sed hoc omni penitus
caret salillo & putidi est cerebelli fœ-
tus: quomodo fluidum corpus velocis-
simo, eoque regulari movebitur motu?
hæc falsitas ad oculum dilucidè patet. In-
sana verò nonne hæc est audacia? cœlum
plus quam septies circulum suum ablo-
lutarum, antequam precatio Dominica
ad umbilicum recitetur. Tertiæ cu-
jusdam sententiæ Patronos se adhuc
exhibit Peripatetici, scilicet, quâ sta-
tuitur, orbem in cœlo supremum omnes

stellas cum orbibus secum rapere ab or-
ta in occasum; sicque illum motum pri-
mo mobili, sive ultimæ sphæræ per se
competere, inferioribus vero novem
per accidens; & è contrario, motum a-
lium tribuant ab Occidente in Orien-
tem sphæris inferioribus novem per se,
nullatenus verò decimæ, seu primo mo-
bili. Sed tantum abest, ut aliis conce-
datur in cœlo motus realis, qvam ab
Oriente in Occidentem; qvin satius, men-
tis operâ concedamus Astronomis eqvi-
dem contrarium illum motum, ob eo-
rum Hypotheses; non verò ulterius.
Sol tantum & fixæ stellæ celerius per-
gunt & Planetas tardius euntes post se
relinqvunt, ad punctum suum venien-
tes; idqve indies, donec integer per-
ficiatur circulus. Qvâ vero facultate
& qvibus mediis illud primum mobile
reliqvos orbes secum raperet? nū nisi
insipiens est sapientia & Philosophiæ ab-
ortus. Motum verò etiamnum aliquya-
lem secundum Cartesii Principia con-
cedimus in cœlo; cum fluiditatis, qvando
coe-

coeli particulæ ab astro pulsæ viam patefaciunt stellæ, tum circularem, qvando eædem particulæ loco suo emotæ, circueundo sidus procedens, redeunt in naturalem suum locum.

*Jam spiculaque nudus hostis, jam suâ
Cessit viduus & lanceâ, transavimus
Sic æstuosum, mitior nos excipit
Neptunus; ergo jam litemus hostias
Vialibus non debitas, soli at DEO.
Iteremus equor ut gradu sic præpetes.*

SEGMENTUM QVINTUM.

Relectis itaque rejectisque viarum impedimentis, necesse est, ut gressus firmemus & citato Pegaleoque pede in rei Veritatem transeamus, statuentes Quietem cœli ab omnibus recensitis motibus, his potissimum fulcris: 1. Ipsa Quietis requisita à Cartesio tradita Coelo competere possunt; quidni ergo ipsa Quies? sunt vero sequentia hæcce ē Claubergii Physica, Thesi 297, seqq. in ordine petita: 1. *Positivum esse, nec esse motus privationem, perfectionem aut finem.*

2. *Esse* quidem absentiam motus, sicut nigrum est absentia albi; sed non motus adesse debiti. 3. *æque* positivum esse ac motum, imo vel forte magis positivum, 4. *Licet* ob inopiam vocabulorum definiatur per negationem contrarii: esse tamen *s* fundamen-
tum proximum cohærentiae & duritiei omnis in corporibus. 6. adeoque nec minus actionis requiri ad Quietem, quam ad motum. 7. *Motus tarditatem* participare quietem. Has omnes proprietates liquido constat, nulloque reclamante, quadrare ad nostrum Cœlum; de quinta autem aliquid posset suboriri dubium, quod tempestivè removebitur; concedimus itaque in Cœlo cohærentiam & duritiem quoad certos quosdam gradus, sicut & illi, in aqua; eatenus vero cohærentiam ibi & duritiem ponimus, quatenus non nisi externo impellente movetur. 2. Probarimus ex ipso Cartesii trito Peripateticis impacto: *Entia non esse temere multiplicanda*; quid vero illi cum suis vorticibus, eorumque motibus? numquid non temere augent Creationis Historiam?

nos

nos vero tribus his innitimus necessitatibus: 1. Sacris Pandectis; ut ut verò expressè nihil de cœli Quietè habeant, tamen per contrarium inducere possumus aliquid; sic Jos. 10, 12. Sol & Luna quietescunt: quomodo verò stellæ quiete-
vissent, nisi prius fuisse motæ? volunt autem Cartesiani stellas quietescere fixas, earumque vortices in circum moveri; si verò stellæ moventur, utique non vortices earum, utrumque enim nec illi contendunt dari motum. 2. Recta ratio quoque confirmat Quietem, cum nulla subsit causa, cur fluidi illi vortices in gyrum volvantur, vel ipsum cœlum solitariè acceptum; veritati itaque contentaneum est motis stellis, cœlū quietescere. 3. Sensibus quidem illius Quietem non percipimus, sed multò minus ejusdem motus perciperem⁹ varios; ut ut inepiat Lambert⁹ Dana⁹ parte 2. Phyl. 4. tract. cap. 19, inquietus motum orbiculum totius fabricæ cœlestis, oculorum testimonio probari. 3. Astipulatur nobis Chrysostomus hom: 12. ad pop: Antiochen: huc in modū:

Non enim DEUS tantum fecit mundum;
 sed etiam ut factus operaretur, effecit: sed
 neque totum immobilem dimittens, negat totum
 jubens moveri; sed cælum quidem immotum
 permanxit, Sol vero cum reliquis sideribus
 quotidie circumvolvit. Et homines supra Gen.
 negat vorticum multitudinem, inquiens:
 quomodo aliqui dicunt factos esse cælos multos?
 non ex Divina Scriptura hoc didicerunt, sed ex
 suis opinionibus, ut ita dicant, impelluntur.
 Istud igitur ipsum firmamentum, quod aquarum
 divisionem fecit, cælum dixit. Quis igitur
 post tantam Doctrinam feret eos? qui ex
 suo capite loqui et contra divinam Scripturam
 dicere audent. 4. Saniores Astronomi no-
 stram quoque amplectuntur sententiam
 & liberis pedibus in hanc eandem semi-
 tam eunt; inter alios haud infirmæ li-
 neæ est Tycho Brahe cum suis (ut ut Hy-
 potheses eorum aliud traveant in Ma-
 thematicis) aliisque, quos hic consueto
 missos facimus.

Veritas nudò patuit fidelis

Jam comes; verùm intemerata mansit

*Pectore: hoc nullâ prece consupratur,
Nec precio unquam.*
*Aggeres unde cupiunt sedere,
Turbines /ævi posuere murmur,
Cum nihil tales valeant procellæ,
Fronte minaces.*

SEGMENTUM SEXTUM.

Tandem amputatis ramis, nudus se prodit truncus, è re ergo erit Definitionem hujus rei dare, quæ sic lonat: *Qvies cæli est ejus affectio, quâ cælum in suo loco constitutum per se quiescit à motu orbico, alioque naturali: vel si concisam & brevem desideres, hæc esto: Qvies cæli est permanentia ejusdem in eodem situ.* Reliquum itaq; est, ut continuemus iter in consideratione Περγυμανδριας conceptum; illic visuri, qvid conceptus communis sit, qvidve restringens. Qvod genus, seu conceptum Convenientiæ & latiorem spectat; est affectio: nam recensetur *Qvies* inter affectiones corporis naturalis disjunctas: legitimum autem hoc esse Genus prob. qvia *Qvies* hæc

hæc aut erit substantia, aut accidens; non
 substantia, qvia sic per per se subsisteret &
 esset vel corp⁹, vel spirit⁹ non prius, nam
 sic plures darentur spiritus, qvam tres,
 nec posterius: nam sic fieret penetratio
 dimensionum, cum unum corpus in a-
 lio subsisteret. Ergò sequitur qvietem
 esse accidens corporis, seu affectionem:
 denique hoc Genus est latius suo Defini-
 to, qvia & enunciari potest de Quantitate,
 Qualitate, Loco, Tempore & Motu.
 Ne oleum & operam perdidisse videa-
 mur: ordine polcente, dirigitus gres-
 sum ad Terminum Disconvenientiæ, Dif-
 ferentialem & Restrictionem; circa
 qvem notamus verba ista: Qvâ scilicet
 affectione, cœlum in suo loco constitu-
 tum qviescit a motu orbico: hic dici-
 tur cœlum in suo loco constitutum na-
 turali permanere & qvasdam particu-
 las à stellis motas redire iterum in debi-
 tum suum locum, ut supra dictum est.
 Hic quoque propulantur ii, qui cœlo
 locum denegant naturalem vanis suffici-
 ti rationum ponderibus. Hic denique,

per se qviescere dicuntur, tam cœli particulae, quam ipsum cœlum; siveque distinguitur haec absolute Ques ab illa respectiva, quæ motum sequitur; præterea qviescere dicitur a circulari motu, qui hic exprimitur, vel propter dignitatem, quam reliquos motus antecellit; vel etiam ideò, quod Advertarii hunc primariò contendant dari. Deinde dicitur cœlum qviescere ab omni alio naturali motu; adeo ut prorsus nullus motus concedatur; non rotius cœlum nam sic stellæ qviescunt, quod est absurdum & Scripturæ repugnans: vortices autem non dantur neque eorum motus, nisi in aquis. Nec moveri, tutum est assisterere, cœli particulas a principio interno, quia ex illo vago motu, nil nisi confusio propullularet, siveque corpus illud pulcherrimum & forte maximum foret miserrimum; nec moventur Elementa in cœlo, quia ejusmodi *σωχεῖα*, utpote vana & ficta, ne quidem ibi dantur; præsupponatur enim ea dari & replere vacua vorticū intervalla, utique coe-

cœlum hoc pacto non erit unum & continuum corpus, qvod ipsi Scripturæ Sacræ adversatur, qvæ saepius hanc vocem usurpat in singulari; si vero qvandoqve iu plurali reperiatur, connotat cœlum aëreum cum sidereo; adeo ut ipse Hebræus fons aptè satis & convenienter id ipsam verbum in duali posuerit. Hanc eandem unitatem cœli confirmant omnes pene Lingvæ; tum in primis ipsa Lingua Latina, quæ caret numero plurali in voce cœlum; cœli namq; quod perperam Grammatici qvidam statuunt esse numerum ejus pluralem, at anomalum; ab ipsâ voce Cœlus est oriundum, qui Priscis fuit Deus, ceu dispalescit ex isto Ennii: lib. 2. Saturnus quem Cœlu genit: & ex inscriptione Cœlio monti ad Romam insculpta: Opt. Maximus Cœlus æternus. Pariter nostrū & Germanorum **Himmel** ab ὥπελος, unicūm est, quod ipsa derivatio innuit: manet ergo Cœlum esse unicūm & continuum corpus.

*Stipes jam exseruit roboris en sibi
Nervos principium, brachia quis gravem,
Poi visura sui perniciem refert,*

*Hec frons ipsa rei: patet
Quaevis hic interea passibus occinant
Pacis nomen in his, undeque pullulent
Fontes dissidit: sed pereant moræ;
Limen deperit ostium.*

SEGMENTUM SEPTIMUM.

Cardine circumvoluto, opus est ex-curso ad Causas, in quibus familiam ducit Efficiens: hujus autem evolutioni, ut tantillum temporis impenda-mus, non est de nihilo. Universalem au-tem & primam ponimus DEUM; illum namque præsenti non eliminabimus fo-ro & præstantissimo Mundi Amphithe-atro, quippe qui in prima Creatione hanc cœlo indidit affectionem; sed me-diate, mediante scil. ejus forma; quidni enim suam exerit Majestatem in nobi-liissimis corporibus, cum in minimis & vilissimis sit maximus, Jam pergimus ad causam cœli formalem, seu proxi-mam

mam & immediatam, quæ hic efficien-
tis rationem habet & suarum est Affe-
ctionum principium; nam, hoc proba-
ri potest ex inductione partium essen-
tialium: aut enim forma, aut materia,
erit Affectionum suarum principium.
Jam materia passivum est & ignobilius, i-
mo potius recipit quam efficit quietem.
Ergo sola forma: nec externa principia
sunt causa hujus Quietis proxima, nem-
pe efficiens & finis; quia nihil faciunt
externa eorum, quæ non fiunt ab inter-
nis: cum enim materia, constitutivum
corporis, sit impossib⁹ actionis; utiq⁹ et-
iā principia externa, quæ non producunt
corpus naturale absq⁹ internis. Jam exci-
pit Materia euucleanda, quam Metaphy-
cici dispescunt in tres species: 1, statuunt
materiam ex qua, seu *κατ' εξωχον* ita dictā.
2. Materiam in qua, seu subiectū recipiens,
& 3 Materiā circa quam, sive subiectū oc-
cupans & objectum. Primam illam hinc
exulare jubemus, cum nostri non sit insti-
tuti, qui occipamur circa quoddam Acci-
dens: illa vero substantiis competit; & qui-
dem

dem materialibus. Secundā vero heic am-
plexamur, quam ponimus ipsum corpus
cœli & totaliter consideratū & quoad mi-
nimas sui partes; quod satis demonstratū
est in superioribus. Tertia illa quoqun-
stræ est considerationis, secundum quam,
quies occupatur & circatotum cœlum &
circa ejus partes. Unus restat finis, qvem
paucis delineabimus: & ille; vel est ulti-
mus in suo genere & est perfectio cœ-
li & subcælestium salus, qvæ à qui-
ete qvam maximè resultat; nam certè
& confusio oriretur in cœlo moto; &
lumen retardaretur. Finis ultimus &
principalis respectu DEI, est Divina Glo-
ria; cui totum hoc mundanum pondus est
sacrum, cujus celebrationi cœli & omnia
creata inserviunt, cui perpetuas litant
laudes bestiæ, cui aviculæ ministrant can-
tus & vocalia thura, cujus in honorem pi-
sces undas fecant: illi & nos Creatori, Re-
demtori & Sanctificatori deserviemus
supplici in æternū tono & serenâ cordis

hostiâ, cantantes dium Melos

& perpetuum

: הַלְלוּ יְהוָה

Quos hie sapernis editos virtutibus
Fœtus & operose, DEI
Germina fer ulnae, digna quæ laudarier:
Causasque cum minoribus,
Non diffitas; sed cardo jam silentium
Promittit; auræ jam leves
Fugâ quiescunt, jam viarum tristium
Trabs fessa, jam antennæ rruot.

Igitur:

Si forte Lector capta nobis amphora,
Currente, prodit urecum
Rotâ, peroro Te, benignos O Tuos
Sodes ocellos annuas.

Interim:

Summe Monarcha cœli,
Lumen illuni dederas e superis quieti,
Præ mihi Duestor ibas
Atque vates ingenio promptus; eras tenelle
Ipse salus carina,
Ti repens raus decus, in perpetuum litantes
Thura sabæa cordis,
Gratias sacre modulos & Triadi perennes.

E

In

In Optimæ indolis Adolescentem,
Literarum, morumque decentia politissimum,

Dm. JOHANNEM TÅLPO/
egregie de QUIETE COELI differenter.

Difficile est cœli, fateor, convexa tueri,
Naturamq; poli noscere flammigeri:
Æthereas homini summas cū scandere ad auras
Non liceat, quidquam certius ut referat.

Hinc cœlum varii fixerunt marmoris instar:
Perdurum & solidum sidera circumagens.

Hoc alii fluidum stellis penetrabile censem.

Aëra ut immotum mobilis aligera
Permeat; expansum sic cœli immobile perstat,
Dum subitis properant motibus astra surs.

Hæcce peregatio sublimia perspicis ausu
Candide mi Tålpo fulgida Pieridum
Stella, Patris Magni presso vestigia gressu,

Qui legis assiduus, nocte dieque rui.
Materiem Requies tibi suppetat indole dignam

Verticis, ardua qua tentat ab ungivculis:
Magnaq; adhuc teneris spendet crescentibus an-

Egregios igitur gratutor intimius (nisi;
Nisu, atq; precor, velit insuper addere cursum
Cæptis continuum, & prospéra quoq; DEUS!

Amico annexuit affectu
Joh: WICKELGREEN.

De

Juvene

Natalium splendore, literarum gloriâ

& morum culturâ

felicissimo,

Dn. JOHANNE TÅLPO/

Magni Parentis

haut dissimili Filio,

amico, uno inter paucissimos dilectissimo;

Cum,

licet adolescens admodum,

tamen ratiocinatione eruditâ

COELUM ab solito suo & innato motu

vindicaret,

jocabundæ tabulabantur Mulæ :

Sustineat summum licet Atlas vertice cœlum,

Candenterque axem verset utring, Polis

Non tamen is potuit talem illi offerre quietem,

Ne is fiat vortex mobilitate levis.

Præstat at hoc noster Tålpo perdoctus alumnus,

Qui cœlos solidâ nunc ratione tenet.

Ast caveat, cœlos stabili dum cardine maestat.

Ne cum sellure hac Mobilis Ipse Siet.

Per

MICH. SADELKIM.

Eidem;

Pergite Palladii, conformes arte Poëtæ
Pierium tenui modulari carmen avenâ
Auctori docto, qui nunc bene valde requirit
Naturam fixam firmam, cœlique quietis
Ostendit causas, celso de ponte cathedræ:
Judicio solvit vincente sophismatis uncos,
Et dubiis contorta plicis male dicta refellit.
Accipite ergo animis, pulcherrima figite cordi;
Optantes Dominus succurrat ausibus ejus!

L. Mq. deprop.

JACOBUS Hartman/
Aust. Finl.

Ad Eundem:

Ardua sat Tälpo præstas Heliconis in arce,
Et Musis auges gaudia mille tuis;
Cum tentas celsi cursum depellere cœli,
Ac calamo sedes pingere vis superas.
Adveniunt Musæ tibi munera larga ferentes;
Ardua vicisti, vîctor ovare potes.

crenâ lusit amicâ

OLALLIS Wång.

